

Es scheint am gerathensten zu sein, sie bis zur besseren Aufklärung ihrer verwandtschaftlichen Beziehungen als eine abweichende Gattung der *Phycodromidae* zu betrachten.

Rhinoëssa cinerea, nov. sp. ♂ Aschgrau; Kopf gelblichweiss; Stirn gelb, am Scheitel grau, am Augenrande etwas weisslich bestäubt, oben sehr breit, vorn erheblich schmaler; Gesicht gegen die Mundöffnung hin etwas zurückweichend; am seitlichen Mundrande steht eine Längsreihe auswärts gerichteter schwarzer Borsten; über dem Vorderende dieser Reihe steht noch ein einzelnes vorwärts gerichtetes Borstchen, welches als rudimentäre Knebelborste anzusehen ist. Rüssel und Taster gelblich. Oberseite des Thorax mit steifen schwarzen Borsten von mässiger Länge weitläufig besetzt. Schildchen vierborstig. Der Hinterleib ziemlich schmal, mit zerstreuter, ziemlich grober, schwarzer Behaarung besetzt; die hinteren Abschnitte mit feinem weisslichen Hinterrandssaume. Grundfarbe der ziemlich kräftigen Schenkel und der Schienen schwarz, von weisslicher Bestäubung grau; Wurzel und Spitze der Schienen in ziemlicher Ausdehnung rothgelb; Füsse rothgelblich, das etwas vergrösserte letzte Glied derselben schwarz. Flügel graulich glasartig; die Adern braun, in der Nähe der Wurzel mehr gelbbraun; kleine Querader auf der Mitte der Discoidalzelle; das Ende der dritten und vierten Längsader parallel. Körperlänge $1\frac{1}{2}$ Linie, Flügellänge $1\frac{7}{12}$ Linie.

Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis Negro superioris in Brasilia septentrionali

auctoribus C. et R. Felder.

(Continuatio.)

149. *Haetera Pireta* Cram.? var. *Aurora* Nob.

H. Andromedae Bates in litt. var.

Figura Crameriana *H. Piretae* (Pap. exot. IV. pl. 345, A.) vel pessime confecta est, vel singularem sistit speciem. *H. Philis* Cram. surinamensis ab auctoribus cum *H. Pireta* (= *Andromeda* Fabr. *Menander* Drury?) confundebatur, sed species est valde diversa, *H. Esmeraldae* Doubldy potius affinis. Cellulae ejus discoidales angustiores sunt, quam in *H. Pireta*. Nostrum specimen ex antiqua collectione Sylvii van Lennep inter ramos primores medianos alarum posticarum ocellum exhibet minutum.

Species nostra, quam vere *H. Piretae* Cram. formam esse, haud certe scimus, in tota Columbia et Brasilia boreali provenit.

Dom. Bates duos nobis transmisit mares. Totidem ex regione Negrina accepimus. Hi autem multo magis iridescent (praesertim in colore virescente), strigae fuscae alarum valde obsoletae sunt, alarum posticarum regio posterior haud purpureo sed pallide lilacino et ochraceo squamata ocellusque magis elongatus.

150. *Haetera Piera* Lin. var. *Negra* Nob.

Multo major, quam specimina surinamensia, amazonica et Brasiliae meridionalis. Mas strigam fuscam alarum posticarum obsoletiore habet et strigam secundam a margine paullum distantem gerit. Color marginalis rufus omnino deest.

Alae posticae femininae strigam fuscam habent multo magis flexuosam, minus determinatam, quam specimina memorata et marginem fuscum multo angustiore, a plica mediana tertia usque ad venam internam superiorem linearem. Iisdem characteribus a neo-grandensi recedit forma*).

151. *Taygetis Cleopatra* Nob.

Alis supra obscure fuscis, subtus omnibus multo pallidioribus, fascia perlata discali extrorsum rectissime determinata, introrsum saepius diffusa obscure fusca, atomis basalibus aliisque fasciam extus limitantibus, strigam constituentibus lilascenti — griseis, anticis punctis exterioribus serie curvata dispositis, albis, posticis ocellis exterioribus ochraceo — fuscis, albo pupillatis aequalibus, iride oblitterata strigaeque pone eos undulosa. ♂

T. Andromedae Cram. secundum alarum formam proxima affinis, sed facile diversa fascia alarum infera obscura multo latiore, extus rectissima ocellisque multo minoribus obsoletioribus conformibus, margini magis approximatis. Duo mares ad fluminis nigri capti sunt ripas. In Brasilia centrali prope Bahiam quoque obvenit *T. Cleopatra*. Minime varietas vel subspecies videtur *T. Andromedae*, cui valde similis, quia circa Bahiam promiscue ambae volant. Femina in fascia paginae inferioris lilascenti-griseo atomata est.

*) Genus *Haetera* et sectio secunda *Antirrhaeae* (*A. Archaea*) ab omnibus reliquis *Satyridis* vena interna alarum anticarum calcar basin versus emittente et quasi furcata discrepat.

Observandum est, hunc characterem optime exhibere sectionem *H. Pierae*, quae extra bifurcationem venae supra dictae tot insuper praestat similitudines cum *Danaidis* diaphanis (e. g. *Ithomiis*). Caeteris in sectionibus calcar venae memoratae basin versus plus minus evanescit hancque ob rem venae internae inferioris rudimentum, ut primo intuitu cogitares, vix esse potest.

152. Oressinoma Typhla Klug.

Major est, quam specimina Venezuelae.

153. Neonympha Ebusa Cram.

Ocelli in pagina inferiore speciminis nostri majores sunt, quam in figura a cel. Cramer data. Genera *Euptychia* et *Neonympha* Westw. discerni nequeunt, ut alio loco accuratius conabimur demonstrare. Proximae eorum affines certe *Xphthimae* Hübn. sunt, sed palporum recedunt formatione.

154. Neonympha Doris Cram.

Una collecta est femina haud recedens a surinamica.

155. Neonympha Helle Cram.? (Ocypte Fabr.)

A bahianis, amazonicis et surinamensibus differt speciminibus nostrum statura minore, strigis ferrugineis paginae inferae latioribus, ocellis duobus intermediis alarum posticarum magis elongatis, plumbeo-violascentibus, ferrugineo cinctis.

Figura Crameriana haud omnino quadrat in specimina nostra surinamica.

Affinis huic formae est venustissima *E. tricolor* Hew., sed oculis nudis alisque integerrimis, rotundatis discrepat.

156. Neonympha Pimpla Nob.

Alis supra brunneo-fuscis, subtus brunneis, cano atomatis, strigis binis discalibus, margini subparallelis, litura interjecta brevi, striga submarginali undata alteraque marginali integerrima fuscescentibus, margine ipso ante cilia fusco, anticarum ocellis quinque, posticarum sex nigris, ochraceo iridatis, argenteo pupillatis, secundo, quinto et sexto posticarum distinctioribus. ♂

In Nova Granada etiam occurrit haec species, magnitudinem *N. Paeonis* Godt. vix attingens. Prope Bahiam valde similis volat forma, sed multo major.

157. Neonympha fallax Nob.

Alis supra fuscis, subtus pallidioribus, strigis binis fuscis subrectis (anticarum marginem internum versus convergentibus), litura discali, striga submarginali undulata alteraque marginali integerrima fuscis, margine ante cilia nigro-fusco, anticarum ocellis quinque obsoletis, posticarum sex atris, anguste ochraceo irridatis, argenteo pupillatis, in posticis secundo, quinto et sexto distinctioribus. ♂

Facile hanc speciem praecedentis "varietatem" judicares. Differt tamen alis saturatius coloratis, apud extimum magis productis strigisque duabus fuscis mediis paginae inferioris rectoribus, in anticis divergentibus.

Fam. Hesperiidæ.

Nullum praestat connexum haec familia cum caeteris *Rhopaloceris*, ut cel. Lederer (Verhandl. des zool.-bot. Ver. zu Wien 1852 p. 16) recte dixit. Talis nobis videtur ejus conditio, qualem cel. Darwin (Entstehung der Arten ed. Bronn. p. 128, 425 tab. adj. E¹⁰ F¹⁴) optime depinxit.

Observandum est, omnes *Hesperiidæ* marginem costalem alarum posticarum ad basin carinatum habere, quae res affinitatem cum *Heteroceris* indicat. Accedit retinaculum in *Euschemonis* maribus apparens.

158. *Tamyris Phidias* Lin. var.

Differt a speciminibus surinamicis masculinum nostrum margine externo infero alarum posticarum angustiore et flavo colorato. Hübneriana appellatio „*Pyrrophyga*“ a cel. Westwood recepta in unam tantum generis sectionem quadrat et hanc ob rem cedere debet. Libenter generi antennarum clava deflexa, haud hamata ab omnibus reliquis familiaribus diverso Wallengrenianum nomen „*Pachyrhopala*“ daremus, sed nomen supra scriptum a cel. Swainson (Zool. Illustr. Ser. I.) creatum prius est.

Tamyrides absque dubio ad formas typicas „neo-tropicas“ (*Papiliones* sectionis „*Endopogon*“ Boisd., *Leptalides*, *Danaidas diaphanas*, *Heliconios*, *Catagrammas*, *Nymphales*, *Morphones* etc.) pertinent.

159. *Tamyris Maenas* Fabr. (*Bixae* Cram.) var.

Mas ex ripis fluminis Negro missus ab altero in collectione nostra in republica Ecuador lecto differt alis anticis angustioribus et posticis magis sinuatis. E Brasilia et Surinamia feminas solas recepimus.

Pyrrophyga Hyperici Hübn. Zutr., quam cel. Westwood cum hac conjunxit specie, certe sistit valde diversam. Contra, *Papilio Bixae* Lin. Merian, Insect. Surin. tab. 44, quam auctor dictus in genus suum „*Goniloba*“ transtulit, absque dubio valde affinis est species. Figura citata antennarum clavam fusiformem optime ostendit et Sibylla Merian in commentariolo adjecto clare dicit „— — in phalaenam obscure virentem transiit — —“. Nisi fasciam alarum posticarum albam discum et haud dimidium basale percurrentem exhiberet, Cramerianam esse haud dubitarem. Diagnosi Linnaeana et Fabriciana (alis fuscis, basi virentibus) in *Eudamos* sectionis *Ausoniz*, *Fulgeratoris* etc. spectat et *Eudam. discolor* noster (Lep. Fragm.

Wien. Ent. Monatschrift III.) similis parum est. Figura vero a cel. Merian data certe *Tamyridem* sistit.

Cel. Bates tertiam formam in valle Amazonum legit, cujus feminam nobiscum benigne communicavit.

160. *Tamyris Vulcanus* Cram.

Pap. exot. III. t. 245 fig. C, D (antennas exhibet *Erycidis*!) ♀

Hewitson, Exot. Buttl. Vol. II. gen. tab. I. fig. 2. ♂

Alis supra chalybaeo-nigris, anticis strigis duabus basalibus, tertia abbreviata interiore obliquis, aequidistantibus quartaque exteriori margini parallela, cum secunda plus minus connexa plumbeo-caeruleis, fasciola discali tripartita, altera exteriori multo brevior bipartita tertiaque brevissima apicali, quadripartita hyalinis, posticis fascia marginis interni, altera abbreviata discali strigaeque pone eam plumbeo-caeruleis, his subtus striga baseos, fascia basali recta, altera triangulari externa fasciolaque interjecta caeruleo-plumbeis, costam versus albo tinctis. ♂

Valde affinis *T. Patrobae* Hew. (l. c. fig. 1) est haec in Columbia quoque volans, sed differt strigis caeruleis alarum anticarum obliquis aequidistantibus, submarginali minus fracta in columbicis secundae basali adhaerente, discali haud longitudinali sed obliqua, fasciola hyalina apicali quadripartita et antecedente latioribus fasciaeque discali brevior, fascia intermedia alarum posticarum latiore et exteriori multo angustiore. Alae multo magis sinuatae sunt, quam in specie memorata.

In Nova Granada et Ecuador ambae species juxta occurrunt. Falso cel. Hewitson species generis *Erycidis* Westw. cum his conjungit. (Exotic. Buttl. Vol. II ad tab. cit. „As everything besides points out this group as one of the most natural of the Diurnal Lepidoptera. I have not followed Mr. Westwood in dividing them merely because the antennae differ.“) Praeter antennarum formam omnino alienam vena discoidali alarum anticarum inferiore longe supra venulae discocellularis medium exeunte discrepant. Hoc caractere ab omnibus recedunt familiaribus nobis cognitis. Cellula discoidalis etiam aliter est formata quam in *Tamyride*.

Oxynetra Nob. (ὄξύς, acutus, νῆτρον, fusus.)

Tamyridi Swains. valde affine est hoc genus, differt tamen capite minore, antennarum clava deflexa multo angustior et longior, apice acutissima, palpis brevioribus, ramis venae subcostalis alarum anticarum dense approximatis, cellula discoidali earum latiore, propter venulam discocellularem supremam distinctam minime angulum acutum formante, vena discocellulari media et infima rectis, minime margini externo parallelis, ramo mediano earumdem alarum secundo a tertio

multo longius remoto, quam a primo, cellula discoidali alarum posticarum multo latiore et fere duplo longiore, costae bitrientem aequante, ramo mediano earum primo proxime ad cellulae extimum emisso, secundo et tertio e petiolo brevi communi in limbo externo alae natis.

Proxime generi nostro secundum capitis magnitudinem, faciem, alarum formam et pedum structuram accedit sectio *Tamyridis nobilis* Cram., *Santhilarii* Latr. etc. Rami mediani ultimi alarum posticarum in his etiam unacum oriuntur et omnes maculis ornatae sunt hyalinis.

161. *Oxynetra semihyalina* Nob.

Alis utrinque chalybaeo-nigris, anticarum plaga discali fasciolaque subapicali hyalinis, venis nigris persectis, posticarum fascia discali triangulari, maculis tribus composita maculisque nonnullis oblitteratis posterioribus albo hyalinis, anticis venis ad basin chalybaeo aspersis, puncto baseos albo, subtus omnibus basi albida, fronte et occipite atris, albo maculatis, pectore et palpis albis, thorace eleganter chalybaeo-virenti squamato, collari atro, albo bimaculato, scapulis atris, singula macula grossa alba, rufo conspersa, abdomine chalybaeo-nigro, subtus fulvescenti annulato. ♀

Expansionem habet eximia haec species *T. Amyclae* Cram. In Mexico etiam provenit, unde cel. Dom. Sallé masculinum nobis transmisit specimen. Ex regione fluminis Negro feminam unicam accepimus. Multum inter se discrepant. Mas fasciolam subapicalem hyalinam plus quam duplo exhibet latiore, a plaga magis remotam et extimo inferiore squamis glaucescentibus limbatam. Alae posticae ejus maculas duas superiores cuneatas magis separatas ostendunt, tertiam oblitteratam et in limbo interno fasciculum pilorum alborum. A'ae anticae maris magis sunt productae et angustiores, posticae integerrimae, extus subrotundatae, in ♀na vero in regione anali multo magis porrectae et extus sinuatae. Scapulae maris macula magna chalybaea, didimium earum basale fere tegente ornatae sunt. Thorax fere ut in *Musca Caesare* Lin. fulget.

Haud probabile est, geographicam esse varietatem mexicanum specimen, quia *Hesperiidae*, ut omnes familiae inferiores, distributione, paucis exceptis, vix commutantur.

Thracides Westw.

Gen. of diurn. Lep. Atlas (secundum Hüb.n.).

Erycidi Westw. genus hoc accedere videtur. Differt capite minore, antennarum clava minus incrassata, palpis minus ascendentibus, conicis, multo longioribus et minus dilatatis, ramis subcostalibus alarum anticarum magis flexis, cellula discoidali earum angustiore, vena disco-

cellulari subrecta, vena discoidali inferiore ex ejus medio oriente pedibusque multo gracilioribus. Palporum articulatio similis est sectioni *E. Palemonis* Fabr., articulus tamen basalis multo brevior et terminalis distinctior, intermedii trientem aequans.

162. *Thracides Aristoteles* Westw.

Specimen a cel. Hewitson (Gen. of diurn. Lep.) optime depictum ex amazonica allatum fuit terra. Duos recepinus mares.

Conognathus Nob. (conus, γνάθος, maxilla.)

Praecedenti valde affinis, cellula discoidali alarum anticarum angustiore, ramo subcostali primo alarum posticarum basi multo magis approximato, capite majore, antennarum hamo longiore, palpis magis dilatatis, articulo eorum secundo distincte conico, minime recte truncato, sed sensim in tertium transeunte, hoc graciliore, minus determinato magisque arrecto diversus. Duas complectitur sectiones genus, quoad cognitum.

163. *Conognathus Platon* Nob.

Alis supra fuscis, anticis cinereo nigroque variis, macula discali in X forma excisa punctisque tribus subapicalibus, hyalinis, posticis macula subcostali bipartita albida, regione postica nigrescente, cinereo bifasciata, margine interno et anali dense pilosis, subtus omnibus ochraceo-brunneis, anticis praeter maculas hyalinas superas macula cellulari, fasciola discali maculaque bipartita anali albidis, in fundo fusco, posticis fascia discali ex parte obsoleta albida, limbo interno glauco, macula nigra subanali alteraque anteposita fusca palpis, pectore, strigis lateralibus ventrequae abdominis albis. ♂

Magnitudinem fere habet specimen nostrum valde mutilatum *Thracidis Aristotelis*, alae autem angustiores sunt, anticae ad apicem, posticae in regione anali multo magis prolongatae.

Ex republica Ecuador alteram recepinus speciem valde diversam.

164. *Eudamus Avitus* Cram. (*Amphion* Gey.?)

Per totam Brasiliam et Guianam haec species obvenit.

Fig. E. Crameri, quam auctor feminam recensuit, varietatem maris vel speciem alienam sistere nobis videtur.

Valde affinis huic speciei est *E. Eacus* Latr. javanus.

Sectionem propriam formare debent istae species a congeneribus palpis longioribus, minus dilatatis et praesertim capite minore collarique distincto recedentes. Accedunt *E. Euribates*, *Salatis*, *Ramusis* Cram. et aliae formae.

165. Eudamus Vulturinus Nob.

Alis supra fuscis, anticis maculis duabus discalibus grossis, puncto postposito tribusque connatis subapicalibus hyalino-albis, posticis dimidio interno late brunneo, fusco maculato, subtus anticarum basi posticarumque bitriente basali fusco punctato ochraceo-flavis, palpis, cingulo clavae, hamo infero antennarum, pectore pedibusque ejusdem coloris. ♀ (?)

E. Eligio Cram., quem unico specimine ex Venezuela cel. Kaden nobis communicavit, valde affinis, sed alis amplioribus posticarumque colore diversus. Abdomine caret specimen nostrum, qua de causa sexum haud determinare possumus.

166. Eudamus Porcius Nob.

Alis supra fulvo-brunneis, striga communi exteriore maculari flexuosa anticarumque maculis binis interioribus, fuscis, subtus multo obscurioribus, posticis maculis quatuor in paribus in limbo interno sordide albidis, fusco cinctis, singulis utrinque macula discoidali vitrea, anticarum tetragona, posticarum minore subovali. ♂

E. Heso Westw., cujus expansionem aequat, affinis, alis anticis vero latioribus, minus productis posticisque magis elongatis, inter ramum medianum primum et venam internam superiorem distincte truncatis bene diversus. Hisce in characteribus *E. Phoco* Cram. propius accedit.

167. Eudamus Oryx Nob.

Alis supra fuscis, basi olivaceo pilosis, subtus obscure brunneis, anticis utrinque fascia discali obliqua hyalino-alba, posticis supra maculis quatuor marginis terminalis sulphureo-albis ciliisque fere usque ad ramum medianum primum albis, subtus fascia angusta marginali alba, ciliis concoloribus parallela. ♂

Valde similis nostrae speciei *E. Zarew* Hübn. Brasiliae australioris. Differt *E. Oryx* statura duplo majore, fascia alarum anticarum supra apud venam subcostalem interrupta, maculis ejusdem paginae posticarum marginalibus ciliisque latioribus et absentia fasciarum nigro-fuscarum in pagina infera harum.

168. Eudamus Brachius Hübn. var.

Cum speciminibus Bahianis omnino convenit negrinum. Utraque ab iis Brasiliae meridionalis (Rio Janairo) fascia marginali paginae inferioris alarum posticarum multo latiore, pure alba discrepant.

169. Eudamus Atletes Kollar in litt.

Alis supra fuscis, basi olivaceo-pilosis, ciliis latis, sordide albidis, fusco maculatis, anticis utrinque maculis quatuor disci, linea digestis, quinta exteriori, tribus minutis connatis subapicalibus punctoque infra eas ochraceo-hyalinis, posticis subtus brunneis, dense violascenti-cano atomatis, maculis binis subcostalibus, fasciis duabus abbreviatis nigro-fuscis, brunneo atomatis, cano marginatis strigaeque submarginali undulata fusca, obsoleta. ♂

In tota Brasilia et Nova Granada juxta *E. Proteum* Lin. volat. Facile ab eo distinguitur colore, alis latoribus, posticis in regione anali multo minus elongatis, caudis earum gracilioribus staturaque minore. Cel. Westwood species caudatas sub nomine „*Goniuris* Hübn.“ sejunxit, sed nullo alio caractere differunt ab *Eudamis* typicis et lobus analis sensim in caudam transformatur (e. g. in *E. Brachio* Hübn., *Coelo* Cram.).

Ancistrocampta Nob. (*ἄγκιστρον*, hamus, *καμπτός*, flexus.)

Chaetocnema nostrae amboinensi (Sitzungsber. der k. k. Akademie der Wiss. 1860. XI. p. 461) affine est hocce genus, differt autem antennarum clava minus determinata, hamo brevi, sursum flexo, ramis medianis ultimis alarum anticarum magis approximatis, calcare earum introcellulari fere originem rami tertii mediani tangente, tibiis pedum posticorum breviter pilosis, quadricalcaratis, alis anticis angustioribus et longioribus posticisque multo brevioribus. A *Hesperia* Swains. (Zool. Illustr. Ser. I.), Bois d.*) jam palporum forma et vena discoidali

*) Genus hoc, ut recens comparatio nos docuit, *Pamphilas* Westw. etiam complectitur et hanc ob rem in multas dividendum est sectiones, quarum unam format genus nostrum *Plesioneura* (Observ. de Lep. Chinae et Japon. supra p. 29), sicut et *Astictopterus* Yama Nob. (Wien. Ent. Monatschrift. IV. p. 401). Cel. Westwood jam magnam generis *Hesperiae* affinitatem cum *Pamphila* indicavit. Multae autem species ex enumeratione hujus auctoris (Gen. of diurn. Lep. p. 525—527) removendae sunt et plures generis sui *Gonilobae* valde mixti nostro addendae. Genus palpis apud frontem ventricoso dilatatis venaeque discoidalis alarum anticarum origine ab omnibus *Hesperiidis* reliquis dignoscitur. *H.* enim *Cleanthes* Latr. et affines, quas cel. Westwood in genus *Erycidem*, colore et antennarum deceptus formatione, locavit, ad *Hesperias* pertinent. *H. Thrae* Lin., Don. (haud Led. Verhandl. des zool.-bot. Ver. 1855 p. 194, Taf. 4, F. 9, 10, quae est *H. Matthias* Fabr. in tota India vulgaris, et Geyer, Zuträge zu Hübn. Sammlung exot. Schmett. Fig. 875, 876, quae speciem sistit sat affinem, sed bene diversam: *H. Irava* Moore in litt.) sola hujus regulae facit exceptionem, vena discoidalis enim inferior in medio venulae transversae oritur. Rami praeterea mediani alarum anticarum longe inter se distant. Palporum formatio vero omnino eadem est. Species valde affinis javensis, quam cel. Latreille Enc. méth. IX. p. 748 varietatem recensuit (*H. Latreillii* Nob.

inferiore alarum anticarum (vena δ Herr.-Schäff.) in venulae discocellularis medio egrediente recedit.

170. *Ancistrocampta Syllius* Nob.

Alis utrinque fuscis, anticis fascia discali paullum sinuata transversa hyalino-fulva, ad extima aurantiaco-flava, palpis, pectore et occipite aurantiaco-flavis, abdomine subtus pallide ochraceo. ♂
Staturam habet *Hesperiae Feisthammelii* Beisd. Ex Amazonum valle cel. Bates alterum nobis transmisit specimen.

171. *Phareas Priscus* Nob.

Alis utrinque obscure fuscis, anticis maculis sex dissitis punctisque quinis subapicalibus serie curvata ordinatis, hyalinis, posticis supra plaga interiore rotundata, subtus plus quam bitriente basali albis. ♀

Cobalus Leucomelas Gey. affinis huic videtur. Propriam constituere debet sectionem species nostra illi *Ph. vitrei* Cram. proxime accedentem, sed capite minore, palpis multo longioribus, articulo eorum ultimo sat longo, antennarum hamo haud deflexo ramisque medianis ultimis alarum anticarum magis approximatis discrepantem. *Phareades Ismenes* Swains. (*Rhopalocamptae* Wallengr.) vicariae in nova continenti sunt, sed facile distinguuntur articulo terminali palporum multo breviori, nunquam aciculari et cellula discoidali alarum anticarum basin versus nunquam coarctata. Maxime approximatur *Ismenae Phareas vitreus* Cram. (*Momus* Fabr.)*), quem cel. Westwood in genus *Hesperiam* dimisit, propter palporum formam. *Phareades* et *Ismenas* in systemate sequi debent *Leucochitoneae* Wallengr. *L. Arsalte* Lin., *L. Leububu* Wallengr., *Melander* Cram.**), *Jovianus* Fabr.,

in coll.) venam dictam infra venae discocellularis medium orientem exhibet. Nihilominus libenter nomen „*Plesioneura*“ sectioni singulari datum pro toto genere retineremus, denominatio autem „*Hesperia*“ a prioribus et celeberrimis auctoribus applicata est et genus vere typicum familiae videtur, quia innumeras continet et varias species supra totum orbem terrarum dispersas. Nisi mirum lepidopterum mexicanum, quod in fragmentis nostris Wien. Ent. Monatschrift IV. p. 110, 111, Taf. 2, Fig. 4 descripsimus et depinximus, pedum recederet structura, sectionem archigeneris *Hesperiae* putaremus. *Coleopterorum* genus Latreillianum e *Scarabaeidarum* familia quum jam „*Aegialia*“ nominatum sit, nomini l. c. a nobis creato denominationem „*Acentrocne*“ generi aptissimam substituas.

*) *Papilio Iulettus* Stoll t. 9 a cel. Westwood ad *Phareades* dubitanter collocatus, proprium fortasse sistit genus, *Phareas* vero *Loxus* Westw. ad *Heliades* (*Achlyodes* Westw.) et *P. Pertinax* Cram. ad *Hesperiam* pertinet.

**) Valde similis est haec species in antennarum et alarum forma *Heliadibus*, facile vero ab iis palporum articulo terminali optime distincto, multo graciliore dignoscitur.

Cerealis Cram. etc.) a cel. Westwood cum *Syrichthis* palpis longe pilosis cellulaque alarum anticarum multo brevioribus diversis in genus „*Pyrgus* Hübn.“ convolutae, novae praesertim continentis propriae, sed in Africa quoque australiore obviae.

Plures complectitur *Phareas* sectiones pedum structuram valde diversam exhibentes. *Ph. Peleus* Lin. et *Gentius* Cram. pedes posticos valde insignes habent, ut cel. Erichson, Wiegmann's Archiv 1839, II. p. 291, optime observavit. Tibiae enim dimidium femoris vix aequant, inflatae sunt, supra fasciculo compresso pennicillato pilorum, subtus calcaribus duobus longis inaequalibus munitae; tarsorum contra articulus basalis inflatus tibia fere quadruplo longior est et quasi tibiae processus apparet. Nisi antennis, palpis, venis et alarum forma optime cum sequente congrueret haec sectio, libenter sub nomine „*Brachyneme*“ in generis gradum tolleremus. Sectio secunda, *Ph. Talus* et *Procas* Cram., tibiae et tarsos posticos ordinariae habet proportionis, illas vero ad apicem spinis duabus parvulis instructas *). *Ph. Coeleste* Westw., *Eumelus* Cram. et *Dumvili* Latr. forte ad hanc numerandi sunt sectionem.

Tertia et quarta sectio, *Ph. Priscus* et *vitreus* Cram., apud tibiae posticas quatuor habent calcaria breviuscula.

Ut supra indicavimus, haec ultima species non solum palpis magis dilatatis, quadrangularibus articuloque eorum terminali minuto, sed etiam antennarum hamo bene distincto, deflexo, clavae scapum duplo fere superante distinguitur. Si eam a genere remove velles, *Ph.* etiam *Priscum* segregari oporteret, sicut et *Peleum*. Observandum est, formam alarum *Ph. Pelei*, *Talai* Lin. et *Gentii* Cram. valde similem esse ei *Chaetocnemes Cerinthi* Feld., quae dua etiam ostendit calcaria apud tibiae posticas.

Chaetoneura Nob. (χαττη, juba, νεύρον, vena.)

Antigonus Hübn. ex parte.

Achlyodes Westw. ex parte.

Genus istud valde affine est *Heliadi* Fabr. (*Achlyodi* Hübn. Westw.), cum qua cel. Westwood confudit. Differt autem antennarum clava

*) *Hesp. Neleus* Lin., quam cel. Erichson l. c. huic sectioni adjicit propter tibiae posticas bicalcaratas, ad genus *Leucochitoneam* pertinet. Dua specimina ex Brasilia meridionali in collectione nostra asservamus, quae tibiae posticas distincte quadricaratas praebent. Item *H. Metis* Lin. capensis bicalcarata minime ad genus *Carterocephalum* Led., sed ad *Cyclopidem* Hübn. Led. pertinet. E converso, America aequatorialis *Carterocephalos* procreat quadricaratos. In genere etiam *Thanos* Boisd. species bicalcaratae obveniunt. (Cf. Lederer in optima synopsi *Hesperidarum* Europae Wien. Ent. Monatschrift. I. p. 78), quae exempla nos docent, calcarum tibialium numerum haud genericum esse discrimen in hac familia. (Idem quoad abdominis proprietates supra dictum commentariolum cel. Lederer confirmare nobis videtur.) Nisi *Chaetocneme* nostra alias differret, absque dubio ad *Eudamos* eam rejiceremus.

distincte hamata, hamo valde reflexo, scapum clavae subaequante, palpis multo magis dilatatis venaque interna alarum anticarum (maris solius?) infra in parte basali villo denso jubaeiformi vestita. Hoc ultimo caractere ab omnibus nobis cognitis *Hesperiid*is discrepat. Nisi venarum distributio, juba infera, alarum forma et signaturae ratio obstarent, species hujus generis *Eudamos* judicares, palpi enim et antennae omnino iidem sunt. *Helias Westermanni* Latr. et *erosa* Hüb. n. formam alarum posticarum praestant similem, sed palpi et antennae valde diversi.

172. *Chaetoneura Hippalus* Nob.

Alis supra rufescenti-fuscis, nigro cinereoque variis, subtus omnibus ferrugineo-brunneis, striga submarginali communi angulosa anticarum striga flexuosa discali, altera subrecta exteriore distincta liturisque tribus interjectis, posticarum strigis quatuor interrupte flexuosis, violaceo-fuscis. ♂

Signatura omnino ut in *Ch. Nearcho* Latr., sed expansio alarum quarta parte major, corpus multo robustius et alarum posticarum lobus apicalis denti- vel caudaeformis multo brevior et latior, angulum tantum sistens.

Novam Granadam quoque inhabitat haec species. *Ch. Nearchum* vero hucusque ex Brasilia solum meridionali et Venezuela accepimus, quare vicariam nostram esse suspicamur, eo magis, quod e terra mexicana cel. Sallé formam valde similem nobis misit, quae statura et colore omnino congruit, cujus alae posticae autem profundius sinuatae, processum ideo apicalem magis porrectum dentiformem habent. (*Ch. Sataspes* Nob.). *Ch. Pausus* Westw., *Nearcho* multo similior, quam memoratae, forma videtur amazonicae vallis.

173. *Helias Thrasylus* Fabr.

A brasiliensi differt colore saturiore.

Hesperiidarum certe infimae sunt formae *Heliades*, *Euschemone* retinaculo instructo excepto. Fabricianum nomen (Syst. Glossator. gen. 40) generi reddimus, quia cum diagnosi editum*). Cel. Westwood intra „*Achlyodem*“ *Chaetoneuras* etiam enumerat et contra, indubitandas *Heliades* (*Corbulonem*, *Flyadem* Cram.) in genus *Thanaum* Boisd. (*Nisoniadem* Westw.) sat affine, sed palpis longe pilosis discrepans rejectit.

Apud *Heliadem* genus palporum et antennarum forma non minus, quam alarum sectura variat, sicut in *Hesperia* antennarum longitudo et formatio. Plures hanc ob causam distinguendae sunt sectiones: *H.*

*) De nominibus Hübnerianis cel. Lederer optime judicasse (Noctuiden Europa's p. 234) nobis videtur.

erosa Hübn., quam cel. auctor cum *Chaetoneura Nearcha* in genus suum *Antigonum* conjunxit, antennis habet distincte clavatas, sed hamus earum brevissimus, minime reflexus est. Subsimiles antennae *H. Corbulonis* Cram. sunt, sed clavae scapus crassior, hamus gracillimus, dimidium ejus superans, minime autem reflexus, sed in angulo recto patens. In *H. Mithridate* Fabr., *Friderico* Hübn., *Flyade* Cram. et affinis clava antennarum valde reflexa est, sed ipse fere totus scapus, minime solus hamus, qui acumen potius format continuum. Apud *H. Westermanni* Latr., cujus palpi magis dilatati et *H. Brebissonii* Ejusd. similis est clava, at distinctior et deflexa tantum. Nostra species secundum antennarum formam (clava distincta, subhamata) et ramos subcostales alarum anticarum arrectos ad sectionem *H. phalaenoidis* Fabr. Hübn. pertinet, sed palpi breviores sunt. Typicas generis formas *H. Busiridem* Cram. et *Thrasonem* Hübn. putamus. Antennae earum jam vix clavatae et primo aspectu iis *Uraniarum* conformes apparent*). Formae valde aberrantes sunt *H. Archytas* Stoll et *sanguinalis* Westw., quas ambas ex iconibus solis cognoscimus. Posterior species *Tortricis* habet faciem.

Ornamenta sexualia in hoc genere varia observantur, quae alio exponemus loco.

Fam. Sphingidae.

174. *Perigonia Lusca* Fabr.

Isognathus Nob. (ἴσος, aequalis, γνάθος, maxilla.)

Cum *Anceryge* Boisd. auctores genus hoc confundebant. Optime vero differt fronte minus producta, palpis ei valde appressis, totam per longitudinem conformibus, articulo tertio eorum minime truncato et cuneiformi, ut in omnibus generis dicti sectionibus, abdomineque marum breviori, robustiore, anum versus haud conice attenuato. Sectiones duas continet, quarum typicae species *Sphinx Scyron* Cram. et *Caricae* Lin. (*Cacus* Cram.). Species posterior *Sphinges* cum *Acherontiis* connectit. Antennae omnium specierum ut in *Anc. Alope* Drury formatae sunt.

175. *Isognathus Swainsonii* Nob.

Alis anticis supra murino-canis, cinereo variis, strigis undatis obsoletis nigricantibus, litura basali longitudinali, fasciola costali proxime pone cellulam maculaque longitudinali subadhaerente

*) „Quant au crochet, qui les termine, c'est abusivement qu'il a été comparé à celui des Hespéries: il se borne à une légère flexion au lieu de représenter une épine implantée sur une massue, et d'ailleurs, plus de la moitié des genres ont les antennes décroissantes de la base au sommet.“ Guénée, Spec. gén. IX. p. 4.

inter ramos medianos ultimos nigris, posticis flavescentibus, basi intusque subaurantiacis, limbo externo fusco, striolis duabus subanalibus canis, subtus omnibus cano-fuscis, strigis duabus obsoletis, obscurioribus, anticis intus posticarumque plaga interiore flavis, corpore toto murino-canesciente, fasciis abdominalibus, obsoletis, murino-fuscis. ♂

Valde affinis est *S. Seyroni* Cram., sed facile recognoscitur colore, statura majore maculaque nigro-fusca inter ramos primores alarum anticarum absente. Ab *I. Leachii* Swains. jam limbi fusci alarum posticarum formatione recedit. Sectio ista squamis corporis haud piliformibus, sed dense adpressis ab *I. Caricae* differt.

Fam. Castniidae.

176. *Castnia Licus* Cram.

Magnitudinem surinamensium habent specimina negrina. Specimina a cel. Bates apud Amazonum flumen superiorem circa Egam lecta multo minora sunt.

Sybilla Merian Ins. Surin. t. 36 metamorphosin depinxit. Genuina nobis videtur larva hic exhibita propter similitudinem cum *Cossis*.

Fam. Saturniidae.

177. *Asthenia* *) *geometraria* Nob. *Novara Inf 921. 2(1873)*

Alis albis, ampliatis, anticis albo ciliatis, supra omnibus striga submarginali fuscescente, anticarum fasciis duabus angustis strigaeque submarginali, posticarum fascia subbasali angusta alteraque exteriore angulum analem versus irregulariter angulosa fuscescentibus, his ibidem maculis duabus nigris ad caudulae basin, nigro-fuscis, utrinque ciliis anterioribus fuscis. ♀

Valde affinis est *A. Machaonariae* Guér., quam in mutilata femina et venusto mare, a cel. Bates ex regione amazonica communicato ante oculos habemus, sed differt extra characteres supra scriptos alis multo latioribus, anticarum margine externo magis convexo. Subsimilis species est *Microphorae Geminiae* Cram. amboinensi, quam cel. Guenée Spec. gén. IX. p. 28 *Astheniam* esse, suspicatus est. Antennae feminae distincte sed angustius pectinatae sunt, quam illae marum. Venarum distributio in speciebus hujus sectionis nobis cognitae (extra supra dictas *A. Lactucina* Cram.) eadem est. Alarum anticarum rami subcostales similiter ordinati sunt, ut in *Urapteryge*, sed venae discoidalis inferioris sola jam origo a *Geometridis* genus remouet. Discrimina reliqua ab his cel. Guenée l. c. et ejusd. op. tom. X. p. 23, 24 accurate exposuit. Primus, qui veram specierum istarum sedem cognovit,

*) Geometridarum genus sic dictum aliud accipere debet nomen.

cel. Herrich-Schäffer System. Bearb. der Schmett. v. Europa. VI. VII., p. 89 fuit. Anglici Auctores *Geometridas*, cel. Boisduval *Urapteryges* existimavit.

Phalaena Attacus angulata (Gen. *Teratopteris* Walk.), *flavaria* (*Drepana*? apud Walk.), *mirabilis* (Gen. *Draconipteris* Walk.), *Zerbina*, *honestata*, *modesta*, *peregrina* et *Lamis* (Gen. *Oxytenis* Walk., *Syssaura* Herr.-Schäff.) Cram. a cel. Hübner et Walker ad *Drepanulidas* numeratae sunt (Cf. Herrich-Schäffer, Correspondenzblatt p. 63), sed in genus *Astheniam* Westw. inserendae sunt. Proximae hujus affines sunt *Perophora* Newm. et *Mimallo* Walk. (*Eacles* Herr.-Schäff.)

Fam. Arctiidae.

Inter omnia *Macrolepidoptera* fere diversissimas et maxime varias continet formas haecce familia, quae res difficillimam eam efficit a vicinis discernendo. *Agaristidae*, *Aganaidae**), *Liparidae*, *Arctiidae*, *Lithosiidae* et *Syntomidae* auctorum unam constituunt familiam, ut cel. Herrich-Schäffer (System. Bearbeitung der Schmett. v. Europa. VI. p. 92) jam indicavit. Discrimina a cel. Lederer (Noctuien Europa's p. 2) conscripta in exoticas species haud amplius quadrant, sicut alia, quae forte a venarum desumeres conditione. Vena interna inferior alarum anticarum in omnibus *Noctuidis*, quamquam in rudimento, observatur, saepius valde distincta (e. g. in *Ophideribus*). Pleuraeque *Arctiidae* ea carent, sed plura genera (v. c. *Eusemia*, *Cocytia*) partem ejus basalem valde distinctam exhibent. Solus larvarum vestitus limitem videtur praebere *Noctuidas* versus quodammodo definitum, sicut earum forma a *Notodontidis* et *Geometridis* discrimen. Cf. Herr.-Schäff. l. c. p. 90. Genera *Diloba* Steph. (apud cel. Boisd. et Gue. *Notodontida*), *Simyra* Tr., *Eogena* Gue., *Clidia* Boisd. (apud auctorem ipsum *Liparida*), *Demas* Steph. (ab omnibus auctoribus anglicis et francogallicis et a cel. Treitschke ad *Lipa-*

*) Latreille princeps *Aganaides* in genus suum *Erebum* includit propter palporum formam. Sed cel. Verloren in catalogo supra laudato p. 257 hoc jam dubitavit. Linnaeus et Fabricius patres de earum sede haud semper consenserant, hic enim (Syst. Ent.) *Bombyces* eas indicat. Cel. Stoll in appendice ad Crameri tom. IV. eas recte ad *Phal. Bombyces* in *Agaristarum* et *Arctiarum* rejecit vicinitatem. Cel. Boisduval (Faune de Madagasc. p. 96 et Voy. de l' Astrolabe p. 248) eas in *Noctuidarum* familia ante *Erebidas* inseruit, palporum fretus structura. Cel. Herrich-Schäffer propriam eas fecit familiam (l. c. p. 92), *Agaristoideis*, *Arctioideis*, *Liparidinis*, *Lithosinis* et *Syntomoideis* aequalem, sed ipse de hac separatione incertus fuit. Cel. Hopffer (Peters Mozambique Ins. tab. 28) et Gerstäcker (Jahresbericht 1857 p. 233) *Noctuidas* illas videntur existimare. Anglici auctores et quod summi pro nobis momenti est, cel. Horsfield (propter larvas fortiter pilosas cf. Lep. E. I. C. II. tab. XIII, fig. 6—10) ad *Lithosiidas* formas istas, veteri continenti proprias retulerunt.

ridas vel *Notodontidas* numerata), *Acronycta* Tr., *Bryophila* Ejusd., *Galleriomorpha* Feld., *Scolopocneme* Feld., *Moma* Hübn. et *Diphthera* Ochsenh. ad *Noctuidas* hucusque numerata certe ad *Arctiidas* pertinent in generis *Pantheae* Hübn., cujus species cel. Guenée *Noctuidas* recensuit, vicinitatem. Eorum diversitatem jam observarunt clarissimi Boisduval (Ind. meth. p. 94 „*Liparidas* et *Lithosidas* facie larvarum modoque vivendi revocant“), Guenée (Spec. gén. V. p. 35. *Diphthera* „je dirai seulement que, divisé ou non, il me paraît médiocrement bien placé dans les Noctuelles, et qu'il a une extrême tendance à revenir aux vrais *Bombyx* de la tribu des *Liparides*“) et Lederer (Noctuinen Europa's p. 7. „Diese Gruppe, die sich als Schmetterling zwar durch kein ausschliessliches Merkmal von den übrigen Noctuiden trennt*) — wäre diess der Fall, so müsste sie zur eigenen Zunft erhoben werden — von denen aber jede Gattung Merkmale bietet, die sie sonst nirgends einreihen lassen —“ et p. 75 *Bryophila*). Has species, nisi e *Noctuidarum* serie eximis, *Arctiidas* et *Noctuidas* totas haud discernere potes, omnes respiciens formas et indigenas et exoticas. Quamdiu *Egybolidis* *Vaillantinae* Stoll. metamorphosis ignota fuit, de sede africanæ hujus formæ auctores multum dissenserunt. Cel. Blanchard et Boisduval eam ad *Arctiidas* locarunt, ille ad *Cheloniidas*, hic ad *Agaristidas*. Cel. Walker priorem recepit opinionem, cel. vero Erichson (Wiegmann's Archiv 1846, II. p. 282) *Phal. Bomb. Vaillantinae* Stollii *Noctuidam* putavit. Cel. Herrich-Schäffer in genere ipso *Arctia* eam inseruit. Nunc, larva et pupa a cel. Saunders (Trans. of Ent. Soc. of London 1857 pl. 14) icone expressis haud dubitare possumus, *Agaristidam* pulcherrimam speciem esse. *Earias* Steph., *Chloeophora* Ejusd. (ambae = *Halias* Tr.), *Tortricomorpha* Feld. et *Pentacloonia* Feld., quas in editione Lepidopteror. novorum amboin. ser. II. (Sitzungsber. der k. Akademie der Wiss. XLIII. 1861, p. 34, 35) ad *Arctiidas* transtulimus, cel. Herrich-Schäffer secuti, qui eas cum *Nycteolidis* conjunxit, propriam constituere familiam putamus, cui nomen „*Tortricomorphidae*“ aptum forte judicabis. Ab *Arctiidis* (*Nycteola*, *Nola* et *Sarrothripo* exemplo cel. Lederer inclusis) differt larvis nudis, a *Noctuidis*, quibus affinior, venarum distributione, ab utrisque larvarum forma tortricina.

A *Notodontidis* familia nostra partim larvarum forma et earum vestimento, partim venae discoidalis inferioris alarum anticarum origine dignoscuntur. Larvae *Agaristidarum* (cf. elegans Horsfieldianum opus II, t. XIII, fig. 1—5) persimiles sunt iis *Phalaerae* generis (cf. l. c. t. XXIII, fig. 2—5), clypeo tamen minore dignoscuntur. Hanc ob rem extensam *Arctiidarum* seriem cum *Agaristidis* incipiendam et *Aganaidas*, *Cocytiae* et *Egybolidis* ope adjungendas esse, existimamus,

*) Haec verba cel. auctoris in omnes quadrant *Arctiidas*, ut supra demonstravimus.

Notodontidae enim genuinae statim *Bombycidas* et *Endromidas* sequi debent, eas ipsas scilicet *Cymatophoridae* (cf. Lederer Berlin. Ent. Zeitschrift II. p. 358).

Restant adhuc *Geometridae* discernendae. Multae *Arctiidae* exoticae in collectionibus exstant, quae venam discoidalem inferiorem a ramo mediano tertio valde remotam habent, genera nempe *Melanchroia* Walk., *Atyria* Herr.-Schäff. (*Chrysauge* Walk. p.), *Sangala* Walk., *Xanthyrus* Boisd., *Milionia* Walk. et plura alia. Accedunt insuper *Hazidae* a cel. Boisduval et anglicis auctoribus ad *Lithosiidas* numerata, a cel. autem Herrich-Schäffer et Guenée apud *Geometridas* inserta et *Emplocidae* Guenéeanae. Nisi *Melanchroiae* larvam onisciformem, *Limacodi* similem esse, e meritissimo opere Stolliano tab. 24, fig. 1 sciamus, absque dubio propter venarum ramificationem ad *Geometridas* rejiciamus omnes has formas. Sola metamorphosis de plurium ex his et *Hazidum* *Emplociarumque* vera sede certos nos facere potest. Item larvae solae decident, *Oenochromidae* Guenéei num ad *Geometridas* vel ad *Notodontidas* pertineant, vel in *Hazidarum* vicinitatem. Ad praesens omnes phalaenas, quae venam dictam supra venulae transversae medium egredientem habent, si faciem praestant *Callimorpharum* vel *Arctiarum* in nostram includimus familiam. Conferenda sunt de difficillimis his quaestionibus acutissima dicta cel. Guenéei: Spec. gén. IX. Généralités p. X. „— telle est même celle des certains genres encore inédits de *Lithosides exotiques**) que le premier coup d'oeil laisse uné certaine indécision, dont on ne triomphe pas toujours même par une étude approfondie“ X. p. 188, 524, 525. „Cette immense division (*Lithosides*) — renferme une foule d'espèces dont l'analogie avec celles de la présente famille a peut-être plus de réalité qu'on ne le pense. — Reste donc le criterium suprême qui, serait décisif aux yeux de ceux-là même qui repoussent la méthode naturelle: la connaissance des premières états. Entre les chenilles des *Géomètres* et celles des *Lithosides* point de confusion possible“. p. 531, 535. Genus *Neurophana* Gue. etiam ad has ambiguas formas pertinere videtur, sicut et *Callipia* Gue. *Phalaena* autem *Perdica* (cel. Guenée IX. p. 214 secundum iconem *Boarmidam* eam recensuit), *Bajularia*, *Barbara*, *Ernestina*, *Peritheia* Cram. et *Callimorpha Lemnia* Boisd. (Voy. de l' Astrolabe) moluccanae, quarum cel. Guenée ne verbo quidem fecit mentionem, ut rita nos docuit inquisitio, ad *Zerenidas* pertinent. Cel. Walker eas apud *Lithosiidas*, *Arctiidas*, *Cosmethidem* vero *Barbaram* (in icone Crameri falsis instructam antennis) apud *Liparidas* secundum icones inseruit! Imo cel. Guenée verum *Leptosoma* —

*) Cel. Ledereri verba Wien. Ent. Monatschrift IV. p. 125 in europaeas tantum species certe relatae erant.

Evergistam Cram. a rubiginicam secundum scilicet iconem ad *Zerentidas* numeravit, *Hazides* autem *Cyanen* Cram. conterraneam et *fene-stratam* Swains. Novae Hollandiae excludit vel ommisit.

178. Cavioria sericea Nob.

Alis dense squamatis, sericeo-albis, anticis supra fasciis tribus per-obliquis lucidis, squamis elatioribus formatis, pedibus posterioribus albis, dense ciliatis. ♂

C. substrigosae Walk. valde affinis, sed plus quam triente major, multo densius squamata pedibusque fortiter ciliatis robustioribus instructa.

179. Penora diaphana Walk.

Omnino in characteribus genericis cum sequente convenit.

180. Penora festiva Cram.

Homoeochroma Nob. (ὁμοῖος, similis, χεῶμα, color.) = *Penora* Walk.

Collare distinctum. Antennae ♂ris costae dimidium vix aequantes, mediocriter bipectinatae, pectine subcomplicato. Palpi caput superantes, articulis parum distinctis, ultimo brevi. Alae sub-elongatae, anticae cellula costae bitrientem subaequante, ad basin valde coarctata, vena distincta divisa, vena costali et subcostali valde approximatis, hujus ramo primo et secundo ante cellulae extimum ascendentibus, venam costalem perforantibus, ramo tertio et quarto sat longe post cellulam e trunculo communi a quarto emissis, petiolo hoc cum vena costali deflexa cellulam secundariam angustissimam constituyente, ramis medianis multum inter se distantibus, secundo tertio propiore, quam primo. Alae posticae cellula angusta, costae bitrientem superante, vena discoidali plicaeformi divisa, vena costali ad basin venae sub-costali admodum approximata, hujus ramo primo proxime ante cellulae extimum oriente, ramis medianis sat inter se remotis, secundo a tertio multo longius distante, quam a primo. Pedes gracillimi, nudi, posticorum tibiae quadricalcaratae. Abdomen gracile, cylindricum, alas posticas subaequans.

Ad geometroideas *Arctiidas* (quae venam discoidalem inferiorem e medio venae discocellularis orientem praestant) pertinet hoc genus, faciem *Aletidis* Walk. et *Phaegoristae* Boisd. exhibens.

Priori secundum alarum posticarum venas simile parum est. Ab affinibus (*Sangalis* Walk.) facile alarum et cellularum discoidalium forma, capite majori exserto, pedibus longioribus et gracilioribus, antennis latius pectinatis, absentia squamarum metallico nitentium abdominisque forma et vestitu dignoscendum est.

(Concludetur.)

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Monatsschrift](#)

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: [6](#)

Autor(en)/Author(s): Felder Cajetan Freiherr von, Felder Rudolf

Artikel/Article: [Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis Negro superioris in Brasilia septentrionali. 175-192](#)